

Innumera prope *Patrum* testimonia hic congerere esset, speciatim ex Athanasio, Ambrosio, Gregorio Nazianzeno, etc., etc. (1), qui omnes uno velut ore dicere videntur cum S. Joanne Chrysost. : « Quamquam nobis venerandum videtur solium regium..., tamen rerum terrenarum administrationem sortitus rex est, nec ultra potestatem hanc quidquam habet auctoritatis... » (*Homil. V in : Vidi Dominum...*, n. 1). — Item et plerique Principes Christiani cum Constantino Magno ad Episcopos Nicænos : « Deus vos constituit sacerdotes, et dedit vobis potestatem de nobis quoque judicandi, et ideo nos à vobis rectè judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari »; (ap. Rufin. : *Hist. eccles.*, l. I, c. II) vel, cum Theodosio juniore in Epist. ad Concil. Ephes. : « Nefas est qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere. » (Ap. Mansi : *Collectio conciliorum*, t. IV, p. 1119) (2). — Aut, si qui Principum ulteriùs progressi, uti Constantius (3), dicere attentarunt : « Quod ego volo, pro canone sit », — toties audierunt ab integerrimis quibuscumque Ecclesiæ custodibus, tota plaudente Ecclesià, ea quæ ab Hosio episcopo mox audivit Constantius : « Desine, quæso, et mento te mortalem hominem esse ; reformida diem judicii, serva teipsum in illam diem purum. Ne te rebus misceas ecclesiasticis ; neque nobis his in rebus præcipias, sed potiùs à nobis hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit ; nobis quæ sunt Ecclesiæ, commisit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, contradicit divinæ ordinationi, ita et tu time ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magni criminis reus fias. *Reddite*, scriptum est, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*. Neque igitur nobis terræ imperare licet ; neque tu thymiamatum et sacrorum potestatem habes, Imperator. » (*Epist. Hosii ad Constant.*, ap. S. Athan. : *Hist. Arianorum ad Monachos*, n. 44) — (4).

(1) Hos V. citatos, v. g., à Regnier, ap. Migne *Theol. T. IV*, p. 241 et 795. — Plurima hujus modi testimonia collegit canonicus Roskovany : *Monumenta catholica pro independentiâ Potestatis ecclesiasticæ ab Imperio civili* (2 vol. in-8 ; Quinque ecclesiis, in Hungariâ, 1847).

(2) V. plura alia ap. Regnier, p. 239, 797.

(3) V. ap. S. Athanasium : *Hist. Arian. ad Monachos*, n. 33.

(4) Hinc etiam factum est ut summi Ecclesiæ Pontifices, in Medio Ævo,

34. — II^o Legitima præjudicia contra Multitudinismum : scilicet,

I — *à priori* : Auctoritas ecclesiastica apud multitudinem Christianorum certè non invenitur è naturâ rerum, nec ibi reponi potuisset absque magnis inconvenientibus seu potiùs impossibilitatibus. — 1^o Non apud multitudinem invenitur è naturâ rerum ; siquidem (ut jam suprâ observavimus, n. 30) ipsa supernaturalis est, et proinde nullibi è naturâ rerum inveniri potest, nec magis in Communitate quam in individuis. Unde nequaquam valere potest paritas è societate civili ab adversariis ferè unice jactata. — « Le royaume de Jésus-Christ n'est pas de ce monde, inquit Bossuet, et la comparaison que vous pouvez faire entre ce royaume et ceux de la terre est caduque (1). »

Verùm et 2^o, ne ibi à Deo reponeretur, multa obstant *inconvenientia*, imò multæ impossibilitates. Multi-

adeò fortiter Imperatoribus obstiterint ne isti *Investituras* temporales per annulum et baculum pastorem dando, auctoritatem etiam spiritualem dare viderentur.

(1) *Hist. des Variations*, l. XV, n. 120 : illic lege ex integro nn. 120 et 121. — Itidem et Fénelon : *Tr. du ministère des pasteurs*, ch. II : « Il y a une extrême différence à observer en général entre la religion et la police d'une ville soumise à un prince. La police est l'exercice d'un droit naturel à tous les peuples, qui précède tous les droits de souveraineté que les princes peuvent avoir acquis ou avoir reçu par le consentement des peuples mêmes. Ainsi le peuple, pour le cas des besoins extrêmes, demeure en possession de sa liberté naturelle. Tout au contraire, dans la religion, il n'y a rien qui ne soit une pure et expresse concession de Jésus-Christ, qui est notre roi ; le fidèle n'a aucun droit naturel qui ait précédé l'autorité de Jésus-Christ... Tout dépend d'une promesse et d'une assistance de Dieu purement gratuite ; il n'y a que sa parole expresse qui puisse nous découvrir quels sont ses conseils. » — Cfr et Nicole : *Tr. de l'unité de l'Egl.*, l. III, ch. x.

Itidem etiam auctores, iisdem in locis, tractant quoque de *potestate ordinis*, utpote quæ auctoritati ecclesiasticæ adjungenda est per ordinationem, nec certè penès populum est : nos autem de hac alibi agemus.

tudo quippè, si penès ipsam summa Ecclesiae auctoritas posita sit, vel illam debet exercere *per se* (quæ est ipsa adversariorum hypothesis), — vel (quod aliquis forsitan etiam excogitabit) illam *per quamdam delegationem* quibusdam hominibus transmittere exercendam. Atqui — 1 — ut talem auctoritatem multitudo exerceat *per se*, præter cæteras difficultates, — necesse erit unicuique Christiano, in unoquoque puncto, etiam in materiis fidei, *privatum examen* adhibere. Nullum enim, ex hypothesi, præter ipsam multitudinem, jam existet infallibile magisterium à quo quisque sententiam formatam fidenter accipere possit. Quisque igitur, pro suâ parte in multitudine sententiam laturus, hanc sibi efformare debet per examen privatum (1); — quod suprâ (n. 17) demonstravimus impossibile. — Ergo certè multitudo non poterit *per se* exercere Ecclesiae auctoritatem.

An autem — 2 — per delegatos?.... Ut illam auctoritatem exerceret multitudo *per delegatos*, oporteret primum Deum ipsi permisisse ut suam etiam infallibilitatem delegaret; secus enim, ubicumque infallibilitate opus erit, necessarius remanebit recursus ad totam Fidelium multitu-

(1) Hinc non mirum est si Jansenistico auctori libri : *Du témoignage de la vérité*, Protestantes valde applauserint, et dixerint : *Son principe est tout protestant....* (V. apud Regnier, Migne, t. IV, p. 231). — Hoc unum nempe supererat discrepantiæ quòd, in hoc systemate, ubi pronuntiaverit multitudo, jam non opus erit examinare nec licebit contradicere; quod vellent adhuc protestantes. Huc usque autem examen privatum cuique et possibile et necessarium admittetur; et sic maxima tollitur ratio quæ afferri solet de institutione auctoritatis infallibilis.

Observandum est tamen nos non denegare ipsi Fidelium multitudini quamdam *infallibilitatem passivam* seu in *credendo*, sicut in cap. IV^o ostenditur. Verùm hæc infallibilitas passiva in eo præcisè consistit quod multitudo illa, majori saltem ex parte, semper adhærebit sententiæ à Pastoribus declaratæ; penès quos proinde necesse est primum existere *infallibilitatem activam* seu in *docendo*, ut deinde infallibilitas passiva apud Fideles existere possit.

dinem (1), et eadem proinde redibunt impossibilitates. — Verùm, et hoc etiam dato, — num illa auctoritatis delegatio à totâ multitudine *practicè* poterit fieri, etiamque interdum renovari (uti profectò in omni Statu repræsentativo fieri convenit, ne delegati paulatim populum verè repræsentare cessent)? — Esto, nempe, quod illa delegatio vel delegationis renovatio, pro aliquâ Ecclesiae parte, quotiès necesse erit, fieri possit : num item pro totâ Ecclesiâ, è tot ac tantis terrarum tractibus, tot ac tantas inter rerum vicissitudines? Et quot inde tumultus ac perturbationes inevitabiliter orientur!... Ergo auctoritas verè suprema in Ecclesiâ ferè nunquam exerceri poterit, — nisi forsitan tot auctoritates supremæ, quot Ecclesiae partes, à Deo constituentur, et sic unitas Ecclesiae scindatur; — quod est aliud inconveniens.

Ergo, summam, quòcumque te veritas, systema Multitudinismi, vel à *priori*, scetet inconvenientibus, imò et impossibilitatibus. — Idem verò

II —, à *posteriori*, nullum in *Scripturâ* habet fundamentum, et *Traditionis* exemplis ac testimoniis contradicit. Etenim

1^o in *Scripturâ* patet ea verba quibus Christus auctoritatem sive infallibiliter docendi sive leges ferendi promittit vel confert, non ad ipsam Christianorum Communitatem esse directa, sed ad certas quasdam personas, ad Petrum nempe et Apostolos, neque ullatenùs significatum esse illas hinc habendas fore tanquam Communitatem repræsentantes aut ei ullo modo subjiciendas (2) : — quod

(1) Et ita expressè Dominis, quotiès Fideles non sententiam omninò formatam delegatis suis dederint : *De republ. eccl.*, l. VII, c. III, n. 6.

(2) Hoc tamen adversarii fidenter asserunt (V. suprâ citat. ex Jurieu), et aliquando probare intendunt, v. g., è Matth., xviii, 17 : *Dic Ecclesiæ....* ; Verùm respondetur hunc textum, cum cæteris præsertim collatum, facilè explicari posse ac debere de Ecclesiâ quatenùs includente Pastores, quibus

tamen expressè et indubiè significari necesse fuisset, ut illa auctoritas Communitati posset attribui : agitur enim illic de privilegio merè supernaturali, quod non magis apud Communitatem quàm apud tales talesve speciatim personas è naturâ suâ residere debet, sed expressâ indiget determinatione qualis hîc ad Apostolos facta apparet.

Et Apostoli reverà, ut in Scripturâ etiam videre est, sese consequenter habent tanquam à Christo immediatè auctoritatem tenentes ad docendum et regendum populum christianum, nedùm ab hoc populo auctoritatem habeant et in hujus usu ipsum sequi debeant. — Et rursum, in constituendis sibi collaboratoribus vel successoribus, populum quidem consulunt ad electionem, electos verò ipsi instituunt, ut videre est, juxta verborum vim, in institutione septem diaconorum (Act., VI, 3) : « *Constituite*... fratres, viros ex vobis boni testimonii septem... quos *constituamus* super hoc opus. » Id est, ut ait Bossuet (*Variat.*, l. XV, n. 120) : « *Elisez*, disent les Apôtres, *et nous établirons.* » — Dein, pastoribus à se ita institutis idem innuunt, v. g., Tit., I, 5 : « Reli-

gatur potestas ligandi atque solvendi (Cfr S. J. Chrysost. : Hom. LX, in *Matth.*, 2; — et V. Charlas : *Tr. de Libertatibus Ecclesiae gallicanae*, l. XII, adversus Richerium, c. 1, 6; — Regnier : *De Eccl.* ap. Migne, t. IV, p. 833; etc.) — Item allegant quasdam Patrum locutiones, quæ etiam facillè explicantur et cum reliquâ Traditione conciliantur, si attendatur ad id quod impræsentiarum contra suos adversarios defendere intendebant. Sic v. g., S. Augustinus de Donatistis occupatus, claves dicit datas esse *Petro Ecclesiam significanti* (*Tr. L. in Joan.*, n. 12), *Petro Ecclesiae personam gestanti* (*Sermo* 149, n. 7), etc., — quia nempe Petrus eas accipit in bonum Ecclesiae non sulpius, intuitu sanctitatis Ecclesiae, non suæ sanctitatis propriae (ut expressè observat idem S. August. contra Donatistas, l. III, de *Bapt.* n. 22), ideoque non sibi tantùm sed et successoribus. — Hæc omnia videre est discussa sive ap. Nicole : *Les Prét. réf.*, 3^e p., ch. ix; *Unité de l'Egl.*, l. III, ch. xiv; — sive ap. Regnier : *De Eccl. ; Theol.* Migne, t. IV, p. 831, 232; itemque ap. Zaccariam : *Antifebr. vindic.*; ibid. t. XXVII, p. 579; — sive præsertim ap. Fénelon : *Tr. du Ministère des Pasteurs* (qui totus de præsentî quæstione est), ch. xi, etc.

» qui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et *constituas*
 » per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi : si
 » quis sine crimine est, etc., etc..... » Etc., etc. Populo autem fideli obedientiam tantùm inculcant : « *Obedite*
 » *præpositis vestris et subjacete eis* (Hebr., XIII, 17). » Ideoque, apud nos Catholicos, S. S. Concilium Vaticanum inter *pravas sententias* quæ « manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesiâ catholicâ semper intellecta est, apertè opponuntur, » recenset et sub anathemate concludit sententiam eorum... « qui affirmant primatum (verum propriumque jurisdictionis) non immediatè directèque ipsi B. Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiae ministro, delatum fuisse » (*Constit. de Eccl.*, cap. I, cum can. seq.).

2^o In *Traditione* reverà, hæc ab omni antiquitate facta constant, scilicet (1) : — 1 — Nullus potest assignari pastor seu episcopus qui fuerit à populo depositus aut excommunicatus; et, licèt ecclesiis præponendi consulto populo sæpe electi fuerit (2), nunquam tamen apparent instituti nisi per alios pastores ab Apostolis non interruptâ serie institutionem habentes, sicuti Patres accuratè ostendunt ut schismaticos inde teneant confutatos. — 2 — Nusquam est auditum in Ecclesiâ interjectam esse appellationem ab episcopis ad populum, neque absolutos à populo quos episcopi ligaverant, vel vice versâ. — 3 — Leges semper à Pastoribus latæ sunt sive in conciliis sive extra concilia; neque unquam expectatum est suffra-

(1) Regnier : *De Eccl.*, P. 1^a, s. V., c. iv, ap. Migne, *Theol.*, t. IV, p. 829, Unde ea quæ sequuntur, ferè ad verbum deprompsimus.

(2) Non tamen semper et in omni casu, sicut ostendit Nicole : *Unité de l'Egl.*, l. III, ch. xii; nec enim, v. g., quando mittendus ad populum aliquem infidelem instituebatur episcopus, uti S. Gregorius Thaumaturgus à Phœdimo Amas. episc. in Ecclesiam Neocæsareensem, S. Frumentius à S. Athanasio in Æthiopiâ, S. Augustinus à S. Greg. M. in Angliam. — Cfr D. Puyol : *Edmond Richer...* T. I p. 430.

gium populi tanquam ad illarum auctoritatem necessarium; nec ulla lex verè ecclesiastica legitur, quæ nuncupari possit *plebiscitum*, quales in civilibus multas exhibet Jus romanum.

Atqui tamen, si non universim in Ecclesiâ creditum fuisset auctoritatem ecclesiasticam à populo minimè pendere, moraliter impossibile fuisset ut non aliquando, in sæculorum decursu, populus exercitium illius auctoritatis resumeret, — sicut in societate civili interdum accidit.

Insuper autem, adverte sedulò ita quoque fieri non tantùm ubi de disciplinâ agitur, sed etiam ubi de *Fide* definiendum est: quod contra Multitudinismum *absolutè* peremptorium est; nam, etiamsi forsitan auctoritas disciplinaris, tanquam jus quoddam populo divinitus concessum, potuisset per illum Pastoribus transmitti et (quod sanè mirum foret) nunquam, de facto, ab ipso rursus vindicari, certè non ita fieri potuisset de auctoritate infallibili quæ necessaria est ad res fidei definiendas. Infallibilitas enim, utpote donum Dei proprium ac personale, nullis transmitti potest delegatis, nisi Deus expressè id liberum fecit; quod certè non fecit (1). — Ergo si auctoritas infallibilis populo in proprium data est, causæ fidei certò finitæ haberi nequaquam poterunt per solum Pastorum iudicium, ante populi assensum. — Atqui tamen res ita semper habitæ sunt; neque unum, v. g., citari potest Concilium in quo ipsi Fideles de rebus fidei iudicium

(1) Hoc disertè exprimit ipse Dominus: « Potest respublica sive communitas democratica consentire ut quod in comitiis à paucis, respectu » totius multitudinis, statutum fuerit pro ipsorum arbitrio, omnes obliget: » sed, in rebus divinis, non ex arbitrio humano ullo pendent statuta et definitiones circa fidem et res revelatas, neque arbitrio humano etiam omnium prorsus totius mundi fidelium sunt commissa; quare neque tota communitas fidelium potest ulli senatui aut concilio divina hæc committere, » ut proprio arbitrio circa illa quicquam quoad fidem disponant. » (*De Republ. eccl.*, l. VII, ch. III, n. 7.) — Et multùm abest certè ut adversarii à nobis in hoc dissonent, quum suum systema non alio finxerint fine quàm ut definitiones præsertim fidei in moras indefinitas, expectato populi consensu, protraherent. V. suprâ cit. Laborde et recentiorum Dœllinger, p. 86, 87, in *notâ*,

tulerint, aut expectatus sit populi christiani assensus ut causa ab omnibus teneretur pro omninò finitâ.

Ergo Multitudinismus verè contra se habet Traditionis *exempla*. — Quibus etiam adjugere esset *testimonia* Patrum dicentium nempe cum S. Gregorio Nazianz. « Oves, » pastores ne pascite....., nolite iudicare iudices, nec legislatoribus leges præscribite, etc. » (Orat. XIX, n. 10). Rariora tamen hic apparent testimonia quàm contra Cæsarium, eò quòd nempe rarior apparuit et ipse Multitudinismus. Omnis enim notorietatis est quòd auctoritatem ecclesiasticam penès solos Pastores residere semper multitudo Christianorum firmâ fide tenuit atque, in parte Christianitatis longè majori, nempe apud Catholicos, Græcos, etc., ita etiam nunc tenet. Proindèque ii Multitudinistæ qui infallibilitatem huic soli multitudini attribuunt, per illam ipsam damnantur, et eorum systema per seipsum evertitur (1).

(1) Ex eo quòd populus christianus non sit auctoritatis ecclesiasticæ depositarius, non ideò sanè concludendum foret nullum ad simplices Fideles pertinere jus et officium agendi quicquam in res fidei et Ecclesiæ promovendas ac defendendas. Hoc enim, ut patet, ipsis habendum est, non modò licitum sed laudabile et aliquando obligatorium; verùm ita tamen ut in hoc procedant non decerentium ac regentium more, sed opem simpliciter ferentium, in quantum illam explicitè vel implicitè ii acceptam habent penès quos in Ecclesiâ manet auctoritas. Secùs enim, in hunc incideretur excessum qui dicitur *Laicismus*. De his cæteroquin V. Encyclicam Pii IX ad Episcopos Galliæ, die 21 mart. 1853, et excerpta è variis Galliarum provincialibus Conciliis, hisce in ultimis temporibus, ap. D. Vincent: *Tr. de Eccl.*, n. 286-289.

Item, ubi quæstio aliqua sive speculativa sive practica inter Pastores quorum decidere interest, versatur, populi quidem fidelis orare est ut id fiat quod fidei et pietatis incremento magis profuturum sit; sed cavendum est ne multitudo ita temerè agitur ut decisiones Pastorum quasi urgere et dictare videatur. Id enim esset contra ordinem in Ecclesiâ divinitus institutum, nec proindè veram Ecclesiæ utilitatem promovere posset. Imò, etsi Ecclesiæ fides inde periclitari nequeat, propter certam semper Dei assisten-

**35. — III° Legitima præjudicia contra Episcopalis-
mum :** scilicet,

I° —, *à priori* : Ut suprema auctoritas ecclesiastica in pluribus potius quàm in uno poneretur, nulla certè erat è naturâ rerum ratio, et magna obstabant inconvenientia. — 1° Nulla erat ratio è naturâ rerum : agitur siquidem de privilegio supernaturali quod Deus conferre potest cui vult et prout vult (1). — 2° Magna autem forent *inconvenientia*, si suprema auctoritas ecclesiastica in plurimum collectione maneret et non in uno coalesceret individuo, ad quod veluti *centrum* quovis momento tutum omnes conveniant, et quod veluti *caput* omnes etiam sequantur. — Et hæc est manifestè ratio divinæ institutionis Papatûs, quam intellexisse maximè refert veluti ad Artic. mox subsecutorum præambulam.

Quemadmodum enim auctoritas Ecclesiæ suprema et infallibilis non potuisset exerceri per Multitudinem fidelium quin eorum quisque cogere ad discernendum ope privati examinis quânam ex parte in controversiis stet

tiam, multarum tamen animarum detrimentum provenire posset, si nempe ita reapse agitate fuissent in favorem illius ipsius partis quam postea à supremis Ecclesiæ Pastoribus rejici vel etiam damnari contingeret. Tunc enim certè pro multis submissio difficilior fieret et magna exsurgeret rebellionis et apostasiæ tentatio.

(1) Nec quisquam sanè dignam ducet cui respondeatur, illam quam quidam è turpi in Principes adulatione insinuant rationem contrà monarchiam ecclesiasticam, ne scilicet per hanc monarchia civilis obfuscetur. Ita tamen, apertâ fronte, Theophanes Prokopovitch, episcopus schismaticus, in *Regulamento* seu *Statuto ecclesiastico* sub nomine Petri I Russiæ Imp. promulgato pro substitutione *Sancæ Synodi* in locum Patriarchæ apud Russiæ ecclesiam (P. 1^a, n. 8; p. 24 edit. Tondini; vel ap. *Etudes des Jésuites*, Oct. 1874, p. 617). — Neque forsân talis adulationis omninò immunes erant nostri olim Gallicani, dùm monarchiam *plenam* in Statu civili, *non plenam* autem in Ecclesiâ asserere nitebantur. Sic Thomas Corcellæus, quem Bossuet (pudens dico) citat et laudat (*Def. Declar.* L. VI c. xxviii); — itemque Fleury; *Disc. sur les lib. Gallic.*, versûs med. — (cfr infrâ, nostram *Append. IIIam* in fine).

veritas (V. suprâ p. 96); ita etiam neque per Corpus Pastorum tantum, quin Christianus quisque cogere ad discernendum saltem quânam ex parte, in divisionibus, stet Pastorum legitimorum majoritas : quod æquè ferè multis impossibile esset, quum præsertim sint plerumque Pastores per orbem dispersi et non nisi rarò ac plus minùsve incompletè congregentur. Igitur maximè saltem convenit, inter inevitabiles Ecclesiæ totius et Corporis ipsius pastorales divisiones, unum aliquod individuum manere incommutabiliter Centrum ad quod singuli, quovis momento, respicientes, sicut ad vexillum in pugnâ milites, statim scire possint quò sese debeant colligere, ut in verâ doctrinæ Christi interpretatione uniantur (1). — *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.*

Verum non centro tantum Ecclesia opus habet, sed etiam capite. Ipsa enim utpote societas semper agens, imò et semper his in terris militans, non modo do trinâ verâ, sed etiam directione unâ continuè indiget. Id autem ei certè procurari non potest per Concilium Pastorum, quippe quod non potest esse continuum; neque etiam tam aptè procuraretur per aliquem à Concilio constitutum, quàm si Christus ipse constituerit. — Aliunde

(1) Hanc convenientiam et quasi necessitatem ipse Calvinus ultrò agnoscit pro populo judæico : « Quia, inquit, undique ab idololatriæ septi erant Judæi, » ne religionum varietate distraherentur, cultus sui sedem in medio terræ » sinu Deus collocavit : illic unum antistitem præfecit, quem omnes respiciant, quò meliùs in unitate continerentur » (*Institutionum christianæ relig.*, l. IV, c. vi, 2). Secùs autem fore contendit « nunc ubi vera Religio » in totum orbem diffusa est » (*ibid.*). Verum et ipsi Protestantes suis divisionibus satis contra eum probarunt; quippe, uti candidè fassus est Grotius, « sine tali primatu exiri à controversiis non poterat, sicut hodie apud » Protestantes nulla est ratio quâ ortarum inter ipsos controversiarum repariatur finis. » (Grotius, in *Discussionibus Riveti*; Opp. t. IV, p. 695 et passim.) — Et ea certè etiam confirmantur vel ex eo solo quod quotidie videre est, hostes scilicet quotquot existunt revelatæ veritatis, nullò impatièntiùs auctoritatem S. Pontificis ferre quàm ipsius Ecclesiæ.

autem, eo ipso quo quis à Christo constitutus fuerit Centrum cui omnis Ecclesia quovis momento adhæreat, Caput itidem ille necessariò fiet quod omnis etiam sequatur: ipsa enim non illi incommutabiliter adhærere posset quem iubentem sequi renueret.

Ex his planè intelligere est quàm sibi cohæreat simul ac necessitatibus humanis conveniat dogma catholicum (1); — dum, è contrà, Episcopalismus, vel à priori, apparet improbabilis. — Idem verò

II —, à posteriori, quomodò contra se habet tum *Scripturæ*, tum *Traditionis* testimonia et exempla, atque

(1) Illas etiam de divinà Papatùs institutione rationes theologicas ita Leibnitzius suo modo exponit apud suum *Systema theologicum*, quo in opere, ut omnes norunt, vir illustris, licèt Protestantium partibus addictus, catholicè in omnibus penè sentire videtur: «.... Cum Deus Opt. Max. Ecclesiam » constituerit in terris... quam audiri jubet ab omnibus qui ethnicis aut » publicanis æquiparari nolunt, consequens est ut modum constituerit quo » voluntas Ecclesiæ, interpres voluntatis divinæ, cognosci possit; et hunc » jam tum Apostoli ostendère, qui corpus Ecclesiæ repræsentabant. Hi enim, » Concilio Hierosolymis coacto, sententiam suam explicantes inquirunt: » Visum est Spiritui Sancto et nobis; neque hoc privilegium assistentis » Ecclesiæ Spiritùs Sancti Apostolorum morte cessavit, sed usque ad con- » summationem sæculi durare debet, atque in toto corpore Ecclesiæ, per » Episcopos tanquam Apostolorum successores, fuit propagatum. Quoniam » autem non semper nec frequenter haberi potest Concilium, nam Epis- » copi populos quibus præsunt, crebrò deserere non possunt; et tamen » semper persona Ecclesiæ vivere ac subsistere debet, ut voluntas ejus » possit cognosci, consequens fuit ipso divino jure, memorabilibus ad- » modum Christi ad Petrum verbis... insinuatam, atque in Ecclesià credi- » ditum est, ut unus inter Apostolos hujusque successor unus inter » Episcopos majore potestate exornaretur, ut per eum tanquam visibile » centrum unitatis, colligari corpus Ecclesiæ, provideri communi neces- » sitati, convocari, si opus, Concilium, et convocatum dirigi, et, tempore » interconciliari, dari opera posset, ne quid res fidelium publica detri- » menti caperet... etc... » *Systema theologicum*, versùs finem, — aut in versione gallicà ejusdem operis, ap. Migne: *Dém. év.*, t. IV, p. 1093. — Cfr et Cardin. Aleandro in conventu Wormatiensi, ap. Audin; *Hist. de Luther*, ch. XIX.

ipsum consensum majoris partis, imò et interdum universitatis tam Episcoporum quàm Fidelium, mox in *Thesi ex professo* demonstrabitur.

His igitur præmissis observationibus circa systemata nobis adversantia (1), jam instituendus est

ARTICULUS PRIMUS.

DE PAPA.

36 — PROPOSITIO: *Existit, è jure divino, in Ecclesià Christi Pastor quidam supremus qui essentielle est hujus Ecclesiæ et Centrum et Caput.* — *37 — Prob. è *Scripturà sacrà*; — *38 — è *Traditione* per testimoniorum et factorum *discussionem*, per *præscriptionem*, imò, certis quibusdam epochis, per totius Christianitatis *consensum*. — 39 — COROLLARIUM: I^o *Infallibilitas papalis* — 40 — *indirectè* demonstratur, et — 41 — Gallicanorum effugium ad eam declinandam, prævertitur; — *42 — *directè* etiam confirmatur è *Scripturà* et *Traditione*. — *43 — Quandonàm Papa doctrinam Christi infallibiliter doceat? — **44 — Observatio circa facta contra infallibilitatem papalem allegata. — 45 — II^o *Plena potestas papalis* circa disciplinam. — 46 — Præcipua ejus consecraria. — 47 — Observatio circa *tendentias*, ut aiunt, *ultramontanæ* vel *gallicanas*.

36. — Hic primùm, in *Propositione*, demonstrandum habemus quòd Christus pro *Fundamento* Ecclesiæ unum instituit supremum Pastorem cui omnes, ut membra sint Ecclesiæ, debent societate jungi tanquam *Centro* Ecclesiæ essentiali, et in his quæ sunt ad salutem, obedire tan-

(1) D. Guizot (*Hist. de la civilisation en Europe*, n^o leç., et *Hist. de la civil. en France*, t. I, n^o leç.) varia illa systemata aut cætera ejusdem modi cum sectis inde enatis asserit jam ab Ecclesiæ incunabulis aliquatenus reperiri, eo quòd advertit non Episcopos modò sed et Multitudinem et Principes, etc., aliquam exercuisse in Ecclesià actionem, sicut et nos suprà advertimus. — Verùm (quod non satis pensat vir inclutus, nec tamen negat) varia illa elementa *concorditer* et *ordinatè* agebant, nec proinde diversa illic aderant systemata, nec plures sectæ; sed una tantummodò ecclesia pluribus constans viribus in uno systemate coordinatis. — Cæterùm in hanc D. Guizot theoriam, V. Gorini: *Défense de l'Eglise*, t. III; vel D. Vincent: *Tr. de Ecclesià* in fine,